SELECTIONS FROM THE LATIN FATHERS

HEBERT

Yehaf K. Drahkir

Raymond Callahan

Charles P. McGuire

David T. Reynolds

Raymond C. Callahan - 415 -

Richard P. Fahey
958 W. 9th Street
Erie, Pennsylvania

SELECTIONS FROM THE LATIN FATHERS

WITH COMMENTARY AND NOTES

EDITED BY

PETER E. HEBERT, C. S. C., PH.D.

GINN AND COMPANY

BOSTON · NEW YORK · CHICAGO · LONDON
ATLANTA · DALLAS · COLUMBUS · SAN FRANCISCO

COPYRIGHT, 1924, BY GINN AND COMPANY
ALL RIGHTS RESERVED

347.5

The Athenæum Press
GINN AND COMPANY · PRO-
PRIETORS · BOSTON · U.S.A.

TO

FATHER SCHEIER

A MAN OF GOODLY GIFTS

PREFACE

Having been permitted to view, from a reverent distance, the growth of the little book which is here offered to college freshmen in Classics by a teacher who has their interests much at heart, I may perhaps be pardoned for appearing in this place to wish "From the Fathers" a good voyage. Those of us who feel that Latin speech and thought are vital things, not fragments of a dead world, believe there is much of peculiar interest for the present generation in the Christian Latin authors. They were both the inheritors of Roman culture and the spokesmen of the Cross. They had been made strong with the food of classic philosophy in order that they might foster the beginnings of a divine kingdom which is still our spiritual residence. What could be more desirable, therefore, than to acquaint young college men, who stand halfway between the classic world they study and the modern society in which they must live, with the writings of the Fathers? These have unction, practicality, and insight; they breathe both the energy and the serenity of a living faith. With such considerations in mind, Father Hebert has shaped his difficult task to meet the needs of college men. We hold that these must first of all be civilized—that is, they are to live civilly in society, with the aspirations and realities which have come to be the treasures of the soul.

GEORGE N. SHUSTER

CONTENTS

PAGE

INTRODUCTION xiii

TERTULLIAN

TO THE MARTYRS

CHAPTER

I. Courage, blessed Men; ye are in Prison that ye may conquer Satan in his own Domain 3
II. Ye are not fettered, but freed 4
III. Your Prison is a Training-camp for the Warfare of God 6
IV. Let the Flesh Serve the Spirit; consider pagan Fortitude 7
V. We must suffer for Truth's sake 9
VI. Our Cause is divine 10

MINUCIUS FELIX

OCTAVIUS

I. The Heavens proclaim the Glory of God 11
II. His Divine Providence 12
III. The Divine Intelligence 12
IV. The Divine Presence 13
V. Gold is tried by Fire 14
VI. Our Strength is from above 15
VII. We are distinguished by Merit alone 16

SAINT CYPRIAN

ON DISCIPLINE

I. Its Importance 17
II. Its Utility 17
III. Its Rule 18

CONTENTS

CHAPTER PAGE

IV. Our Model 19
V. Our Contest 20
VI. Our Metal 20
VII. Our Strength 21

LACTANTIUS

THE DIVINE INSTITUTES

I. The Return of Justice 22
II. The Test of Virtue 22
III. The Reason of Vice 23
IV. The Realm of Justice 23
V. Freedom of Truth 24
VI. Manner of defending Religion 25
VII. Sincerity of Religion 26
VIII. False and true Religion 26
IX. The Cause of Hatred 27
X. The Error of Unbelievers 28
XI. The Patience of Christians 29
XII. Contrasts 30
XIII. Why Evils befall the Good 31
XIV. From Evil cometh forth Good 32
XV. Divine Vengeance on the Torturers 33

TWO WAYS OF LIFE

I. Its onward Course 34
II. Parting of the Ways 35
III. Virtues and Vices 36
IV. The Way that leads to Hell 38
V. The Way that leads to God 38
VI. Temporal Advantages against Eternal 40
VII. The Wiles of Satan 41

THE FORMATION OF MAN

I. The Divine Plan in the Body of Man 42
II. The Eyes and Ears 43
III. Pupils of the Eyes 44

CONTENTS

CHAPTER PAGE

IV. Parts of the Face 45
V. Pairs in the Body 46
VI. The Tongue 47
VII. The Teeth and Lips 47
VIII. The Chin, Neck, Shoulders, Arms, and Hands . . . 48
IX. The Feet 49
X. The Voice 50

SAINT AMBROSE

THE HEXAEMERON

I. The Grass, an Image of the Flesh 51
II. The Transitoriness of Life 51
III. The Beauty of the Field 52
IV. The Origin of Trees 53
V. The Rose 54
VI. The Wonders of Water 54
VII. Its Uses 55
VIII. The Diversities of Water 55
IX. The Crab 56
X. Men are like Crabs 57
XI. The Whales of the Atlantic 57
XII. Salt, Corals, Pearls, etc. 58
XIII. Excellencies of the Sea 59
XIV. Piety of the Sea 60

PROOFS OF THE RESURRECTION

I. Three Proofs 60
II. Proof from Reason 60
III. Proof from Nature 61
IV. Doubt dispelled 61
V. Powers of the Earth 62
VI. Providence 62
VII. Folly of Man 63
VIII. Proof from Fact 64
IX. Lazarus is called 64
X. He comes forth 65

CONTENTS

CHAPTER PAGE

XI. The Widow's Son 65
XII. The Divine Power 66
XIII. Time of the Resurrection 66

SAINT JEROME

LETTER TO HELIODORUS

I. Jerome's Love for Heliodorus 67
II. A Rebuke 68
III. A Warning 69
IV. The Standard of the Monk 69
V. The worldly Conflict 70
VI. The last Day 71

LETTER TO EUSTOCHIUM

I. Paula's Nobility 72
II. Her Merits 72
III. Her Self-denial and Devotedness 73
IV. Her Aversion to the World 73
V. She repairs to the Desert 74
VI. Paula's Illness 75
VII. Her Death 76
VIII. Her Funeral 77
IX. Her Glory 78
X. Her Daughter's Inheritance 78
XI. Jerome's Farewell 79

SAINT LEO THE GREAT

THE VIRTUE OF FASTING

I. Man, after the Image of God 80
II. Charity embraces all 81
III. God's Judgments are our Good 82
IV. A triple Observance 83

CONTENTS

EULOGY ON SAINTS PETER AND PAUL

CHAPTER		PAGE
I.	Rome, Mistress of Error, becomes Disciple of Truth	85
II.	Bound by Satan, she is freed by Christ	85
III.	Why she is made the See of Peter	86
IV.	The Fortitude and Charity of Peter and Paul	87
V.	Peter's previous Labors	87
VI.	Rome's Diadem	88
VII.	Our Joy	89

SAINT BERNARD

THE VIRTUE OF HUMILITY

I.	God resisteth the Proud, and giveth Grace to the Humble	90
II.	Sit down in the lowest Place	91
III.	The Lily of the Valley	91
IV.	The Modesty of Youth	92
V.	A Lily among Thorns	93
VI.	Three Regions of Souls	94
VII.	Purgatory	95
VIII.	Hell	95
IX.	Heaven	96
X.	Four Kinds of Men possessing the Kingdom of Heaven	97
XI.	Star of the Sea	99

SAINT AUGUSTINE

CONFERENCE WITH HIS MOTHER

I.	On the Kingdom of Heaven	101
II.	Who is like unto God	101
III.	He hath made us who abideth forever	102
IV.	Monica's Prayer	102
V.	Her Ecstasy and Death	103
VI.	Her desire to be buried near her Husband	103
VII.	Her Fortitude	104
VIII.	Augustine mourns his deceased Mother	104

CONTENTS

CHAPTER		PAGE
IX.	Ties Sundered	105
X.	His double Grief	105
XI.	His Sorrow mitigated	106
XII.	He weeps in Secret	107
XIII.	The Justice and Mercy of God	107
XIV.	He prays for his Mother	108
XV.	How she was bound to Christ	109
XVI.	He asks all a pious Remembrance	109

APOSTROPHE TO THE CHURCH

I.	Her Teaching	110
II.	Her Training	111
III.	Her Power	112
IV.	Her Contemplatives	112
V.	Her Nuns	113
VI.	Her Clergy	113
VII.	Her Communities	114
VIII.	Her Enemies	115

OUR GOD

I.	His Worship	115
II.	His Benefits	115
III.	His ineffable Gift	117
IV.	The Cardinal Virtues	117
V.	Temptations	118
VI.	Companionship	118
VII.	Our Hope	119
VIII.	Our Crown	120

NOTES 123

INTRODUCTION

This little book has no purpose other than the placing in the hands of college men a bit of text from the Latin Fathers. Thus far no suitable class book of the kind has appeared. In the last year or two magazines on the Classics have devoted considerable space to attempting a revival of interest in the early Christian writers, and the work on the Greek and Latin Fathers now in progress at Louvain, the Catholic University of America, and elsewhere, is assurance that study in patristic literature is destined soon to become part of the curricula of the schools.

The present work is emphatically not meant to supplant the ancient Classics, whose treasures are the glory of the course in arts and letters, but merely to supplement and enrich the studies of the youth aspiring to the classical degree. The selections offered have been made with the twofold purpose of presenting, primarily, typical specimens of important authors and the periods they represent, and of furnishing, incidentally, such subject-matter as may prove helpful in developing what we understand to be the American college man.

The text has been taken from Migne's *Patrologia Latina*. In preparing the notes the author has waived all textual criticism as being outside the sphere of Freshman work. In the case of variant readings the effort has been to choose the one that has seemed most conformable to the context. The punctuation has been freely altered.

In order to present a free and unencumbered text, the references to Scriptural quotations have been transferred to the notes. These will be eagerly looked up, as they promise decisive aid in the preparation of the assignment. Since Vergil is the author from whom the students come to this little work, not a few references to him will be found, and the verification of these should encourage a lasting companionship with the "wielder of the stateliest measure ever moulded by the lips of man." Partiality, it will be observed, is shown to Horace also, in the hope of stimulating an appetite for the offerings of the "Muses' priest," who is taken up in the Sophomore year to sing *virginibus puerisque* songs not heard before.

From a conviction, born of experience, that references to grammars are useless to boys, such references have been omitted, excepting a few scattered instances in which they were thought necessary to clarify the text.

The occasional departure from the usual laws of syntax found in the Christian writers will be readily perceived by the alert teacher, and stress should be laid on differences and similarities of style not only among the Fathers themselves, but also between them and the authors usually read in the four years of high school. This comparison is a factor not only beneficial intellectually but creative of interest in any class.

No vocabulary is appended to the volume. It is an established canon that the dictionary is the companion book of texts prepared for college men, and the editor who makes the student feel that he can do without it does him a positive injury. The words in the text that cannot be found in the ordinary abridged Latin dictionary are

explained in the notes, with commentary sufficient for their proper understanding. It has been thought well that accounts of the historical persons and of the myths to which the text alludes should likewise be sought elsewhere by the students themselves. Directive references to all these, however, have been given. The biographical sketches in the notes have been made brief, their aim being merely to give the student some idea of the life, influence, and style of the writer he is studying. More comprehensive lives of each should be consulted.

Observation of the Fathers' thorough grounding in classical lore should furnish to the Christian student one of the strongest reasons why he should study the pagan Classics. "Jerome, skilled in the treasures of the three languages of Scripture, Ambrose, Augustine, and, still more, Gregory, would certainly have contributed little to the doctrines of the Church, if they had borrowed nothing from the more learned Greeks; watered by whose rivulets, Rome, as she first generated philosophers after the image of the Greeks, so afterwards in like form she brought forth *Tractatores* of the orthodox faith."—De Bury, *Philobiblon*, chap. x.

The author is indebted to the Reverend John B. Scheier, C.S.C., and the Reverend Walter J. O'Donnell, C.S.C., who have read the manuscript and made valuable corrections and suggestions.

P. E. H.

Notre Dame, Indiana

'Tis a secret spot made for retirement, and the vines, whose gadding and vagrant shoots form festoons among the canes which support them, have framed for us a portico of tendrils with a roof of leaves. Fitly here shall we tell the tales of wisdom; and while we refresh the eye with a delightful gaze upon the trees and vines, the mind will be gathering at once instruction from what is said, and refreshment from what is seen; though you indeed have neither pleasure nor purpose now in anything but conversation.

St. Cyprian, *Ad Donatum*, I, 12

SELECTIONS FROM THE LATIN FATHERS

SELECTIONS FROM THE LATIN FATHERS

TERTULLIAN

TO THE MARTYRS

I. Inter carnis alimenta, benedicti martyres designati, quae vobis et domina mater Ecclesia de uberibus suis et singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid et a nobis quod faciat ad spiritum quoque educandum. Carnem enim saginari et spiritum esurire non prodest. Immo si quod infirmum est curatur, aeque quod infirmius est neglegi non debet. Nec tantus ego sum ut vos alloquar; verumtamen et gladiatores perfectissimos non tantum magistri et praepositi sui, sed etiam idiotae et supervacue quique adhortantur de longinquo, ut saepe de ipso populo dictata suggesta profuerint. Imprimis ergo, benedicti, nolite contristare Spiritum Sanctum, qui vobiscum introiit carcerem. Si enim non vobiscum nunc introisset, nec vos illic hodie fuissetis. Et ideo date operam ut illic vobiscum perseveret; et ita vos inde perducat ad Dominum. Domus quidem diaboli est et carcer, in qua familiam suam continet.

Courage, blessed Men; ye are in Prison that ye may conquer Satan in his own Domain

Sed vos ideo in carcerem pervenistis, ut illum etiam in domo sua conculcetis; iam enim foris congressi conculcaveratis. Non ergo dicat, "In meo sunt, tentabo illos vilibus scidiis, defectionibus, aut inter se dissensionibus." Fugiat conspectum vestrum, et in ima sua delitescat contractus et torpens, tamquam coluber excantatus aut effumigatus. Nec illi tam bene sit in suo regno ut vos committat, sed inveniat munitos et concordia armatos; quia pax vestra bellum est illi. Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes a martyribus in carcere exorare consueverunt. Et ideo eam propterea in vobis habere et fovere et custodire debetis, ut si forte et aliis praestare possitis.

II. Cetera aeque animi impedimenta usque ad limen carceris deduxerint vos, quousque et parentes vestri. Exinde segregati estis ab ipso mundo, quanto magis a saeculo, rebusque eius? Nec hoc vos consternet, quod segregati estis a mundo. Si enim recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse, exisse vos e carcere, quam in carcerem introisse, intellegemus. Maiores tenebras habet mundus, quae hominum praecordia excaecant. Graviores catenas induit mundus, quae ipsas animas hominum constringunt. Peiores immunditias exspirat mundus, libidines hominum. Plures postremo mundus reos continet, scilicet universum hominum genus. Iudicia denique non proconsulis, sed Dei sustinet. Quo vos, benedicti, de carcere in custodiarium, si forte, translatos existimetis. Habet tenebras, sed lumen es-

Ye are not fettered, but freed

tis ipsi; habet vincula, sed vos soluti Deo estis. Tristе illic exspirat, sed vos odor estis suavitatis. Iudex exspectatur, sed vos estis de iudicibus ipsis iudicaturi. Contristetur illi, qui fructum saeculi suspirat. Christianus etiam extra carcerem saeculo renuntiavit, in carcere autem etiam carceri. Nihil interest, ubi sitis in saeculo, qui extra saeculum estis. Et si aliqua amisisti vitae gaudia, negotiatio est aliquid amittere, ut maiora lucreris. Nihil adhuc dico de praemio ad quod Deus martyres invitat. Ipsam interim conversationem saeculi et carceris comparemus, si non plus in carcere spiritus acquirit quam caro amittit. Immo et quae iusta sunt caro non amittit per curam Ecclesiae et agapen fratrum; et insuper quae semper utilia fidei spiritus adipiscitur. Non vides alienos deos, non imaginibus eorum incurris, non sollemnes nationum dies ipsa commixtione participas, non nidoribus spurcis verberaris, non clamoribus spectaculorum, atrocitate, vel furore, vel impudicitia celebrantium caederis; non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt; vacas a scandalis, a tentationibus, a recordationibus malis, iam et a persecutione. Hoc praestat carcer Christiano, quod eremus prophetis. Ipse Dominus in secessu frequentius agebat, ut liberius oraret, ut saeculo cederet. Gloriam denique suam discipulis in solitudine demonstravit. Auferamus carceris nomen, secessum vocemus. Etsi corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu, et non stadia opaca aut porticus longas praeponens tibi, sed illam viam quae ad Deum ducit. Quotiens

eam spiritu deambulaveris, totiens in carcere non eris. Nihil crus sentit in nervo cum animus in caelo est. Totum hominem animus circumfert, et quo velit transfert. Ubi autem erit cor tuum, illic erit et thesaurus tuus. Ibi ergo sit cor nostrum, ubi volumus habere thesaurum.

III. Sit nunc, benedicti, carcer etiam Christianis molestus? Vocati sumus ad militiam Dei vivi iam tunc cum in sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis et substrictis, ubi omnis duritia et imbonitas et insuavitas constitit. Etiam in pace, labore, et incommodis bellum pati iam ediscunt, in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem densando. Sudore omnia constant, ne corpora atque animi expavescant de umbra ad solem, ex sole ad caelum, de tunica ad loricam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde vos, benedicti, quodcumque hoc durum est, ad exercitationem virtutum animi et corporis deputate. Bonum agonem subituri estis in quo agonothetes Deus vivus est; xystarches Spiritus Sanctus, corona aeternitatis; brabium angelicae substantiae, politia in caelis, gloria in saecula saeculorum. Itaque epistates vester Christus Iesus, qui vos Spiritu unxit, et ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem a liberiore condicione seponere, ut vires corroborarentur in vobis. Nempe enim et athletae

Your Prison is a Training-camp for the Warfare of God

segregantur ad strictiorem disciplinam, ut roborī aedificando vacent. Continentur a luxuria, a cibis laetioribus, a potu iucundiore. Coguntur, cruciantur, fatigantur; quanto plus in exercitationibus laboraverint, tanto plus de victoria sperant. "Et illi," inquit Apostolus, "ut coronam corruptibilem consequantur," nos aeternam consecuturi. Carcerem nobis pro palaestra interpretemur, ut ad stadium tribunalis bene exercitati incommodis omnibus producamur; quia virtus duritia exstruitur, mollitia vero destruitur.

IV. Scimus ex Dominico praecepto quod caro infirma sit, spiritus promptus. Non ergo nobis blandiamur, quia Dominus consensit carnem infirmam esse. Propterea enim praedixit spiritum promptum, ut ostenderet quid cui debeat esse subiectum, scilicet, ut caro serviat spiritui, infirmior fortiori, ut ab eo etiam ipsa fortitudinem assumat. Colloquatur spiritus cum carne de communi salute, nec iam de incommodis carceris, sed de ipso agone et proelio cogitans. Timebit forsitan caro gladium gravem, et crucem excelsam, et rabiem bestiarum, et summam ignium poenam, et omne carnificis ingenium in tormentis. Sed spiritus contraponat sibi et carni, acerba licet ista, a multis tamen aequo animo excepta, immo et ultro appetita, famae et gloriae causa; nec a viris tantum, sed etiam a feminis, ut vos quoque, benedictae, sexui vestro respondeatis. Longum est si enumerem singulos qui se gladio confecerint, animo suo ducti. De feminis ad manum est Lucretia, quae

Let the Flesh serve the Spirit; consider pagan Fortitude

vim stupri passa, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, ut gloriam castitati suae pareret. Mucius dexteram suam in ara cremavit, ut hoc factum eius fama haberet. Minus fecerunt philosophi: Heraclitus, qui se exussit; item Empedocles, qui in ignes Aetnaei montis desiluit; et Peregrinus, qui non olim se rogo immisit; cum feminae quoque contempserint ignes: Dido, ne post virum dilectissimum nubere cogeretur; item Asdrubalis uxor, quae iam ardente Carthagine cum maritum suum supplicem Scipionis videret, cum filiis suis in incendium patriae devolavit. Regulus, dux Romanorum, captus a Carthaginiensibus, cum se unum pro multis captivis Carthaginiensibus compensari noluisset, maluit hostibus reddi et in arcae genus stipatus undique extrinsecus clavis transfixus, tot cruces sensit. Bestias femina libens appetiit, et utique aspides, serpentes tauro vel urso horridiores, quas Cleopatra immisit sibi, ne in manus inimici perveniret. Sed mortis metus non tantus est, quantus tormentorum. Itaque cessit carnifici meretrix Atheniensis, quae conscia coniurationis, cum propterea torqueretur a tyranno et non prodidit coniuratos et novissime linguam suam comestam in faciem tyranni exspuit, ut nihil agere se scirent tormenta, etsi ultra perseverarent. Nam quae hodie apud Lacedaemonas sollemnitas maxima est, διαμαστίγωσις, id est, flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adulescentes flagellis affliguntur, astantibus parentibus et propinquis, et uti perseverent adhortantibus. Ornamentum enim et gloria deputabitur maiore quidem titulo si anima potius cesserit plagis quam

corpus. Igitur si tantum terrenae gloriae licet de corporis et animi vigore, ut gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant sub praemio laudis humanae, possum dicere, modicae sunt istae passiones ad consecutionem gloriae caelestis et divinae mercedis. Si tanti vitreum, quanti margaritum? Quis ergo non libentissime tantum pro vero habeat erogare quantum alii pro falso?

We must suffer for Truth's sake

V. Omitto nunc gloriae causam. Eadem omnia saevitiae et cruciatus certamina, iam apud homines affectatio quoque et morbus quidam animi conculcavit. Quot otiosos affectatio armorum ad gladium locat! Certe ad feras ipsas affectatione descendunt, et de morsibus et de cicatricibus formosiores sibi videntur. Iam et ad ignes quidam se auctoraverunt, ut certum spatium in tunica ardente conficerent. Alii inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulaverunt. Haec, benedicti, non sine causa Dominus in saeculum admisit; sed ad nos et nunc exhortandos, et in illo die confundendos, si reformidaverimus pati pro Veritate in salutem, quae alii affectaverunt pro vanitate in perditionem.

VI. Sed haec exempla constantiae omittamus de affectatione venientis. Convertamur ad ipsam condicionis humanae contemplationem, ut et illa nos instruant, si qua constanter adeunda sint, quae et invitis evenire consueverunt. Quotiens enim incendia vivos

ɾremaverunt! Quotiens ferae et in silvis suis et in mediis civitatibus elapsae caveis homines devoraverunt! Quot a latronibus ferro, ab hostibus etiam cruce exstincti sunt, torti prius, immo et omni contumelia expuncti! Nemo non etiam hominis causa pati potest quod in causa Dei pati dubitat. Ad hoc quidem vel praesentia nobis tempora documenta sint, quantae qualesque personae inopinatos natalibus et dignitatibus et corporibus et aetatibus suis exitus referunt hominis causa; aut ab ipso, si contra eum fecerint, aut ab adversariis eius, si pro eo steterint.

Our Cause is divine

MINUCIUS FELIX

OCTAVIUS

I. Quid potest esse tam apertum, tam confessum tamque perspicuum, cum oculos in caelum sustuleris et quae sunt infra circaque lustraveris, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur? Caelum ipsum vide: quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur! Iam scies quam sit in eo Summi Moderatoris mira et divina libratio. Vide et annum, ut solis ambitus faciat, et mensem vide, ut luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum et luminis dicam recursantes vices, ut sit nobis operis et quietis alterna reparatio? Relinquenda vero astrologis prolixior de sideribus oratio, vel quod regant cursum navigandi, vel quod arandi metendique tempus inducant. Quae singula non modo ut crearentur, fierent, disponerentur, summi opificis et perfectae rationis eguerunt, verum etiam sentiri, perspici, intellegi sine summa sollertia et ratione non possunt.

The Heavens proclaim the Glory of God

II. Quid! Cum ordo temporum ac frugum stabili varietate distinguitur, nonne auctorem suum parentem-

que testatur, ver aeque cum suis floribus et aestas cum suis messibus et autumni maturitas grata et hiberna olivitas necessaria? Qui ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret. Iam providentiae quantae, ne hiems sola glacie ureret aut sola aestas ardore torreret, autumni et veris inserere medium temperamentum, ut per vestigia sua anni revertentis occulti et innoxii transitus laberentur! Mari intende: lege litoris stringitur. Quicquid arborum est vide: quam e terrae visceribus animatur! Aspice oceanum: refluit reciprocis aestibus. Vide fontes: manant venis perennibus. Fluvios intuere: eunt semper exercitis lapsibus. Quid loquar apte disposita recta montium, collium flexa, porrecta camporum? Quidve animantium loquar adversus sese tutelam multiformem, alias armatas cornibus, alias dentibus saeptas et fundatas ungulis et spicatas aculeis aut pedum celeritate liberas aut elatione pinnarum? Ipsa praecipue formae nostrae pulchritudo Deum fatetur artificem: status rigidus, vultus erectus, oculi in summo velut in specula constituti et omnes ceteri sensus velut in arce compositi.

His Divine Providence

III. Longum est ire per singula. Nihil in homine membrorum est quod non et necessitatis causa sit et decoris, et quod magis mirum est, eadem figura omnibus, sed quaedam unicuique liniamenta deflexa: sic et similes universi videmur et inter se singuli dissimiles invenimur. Nec universitati solummodo Deus, sed et partibus consulit.

The Divine Intelligence

Britannia sole deficitur, sed circumfluentis maris tepore recreatur. Aegypti siccitatem temperare Nilus amnis solet; Euphrates Mesopotamiam pro imbribus pensat; Indus flumen et serere orientem dicitur et rigare. Quod si ingressus aliquam domum omnia exculta, disposita, ornata vidisses, utique praeesse ei crederes dominum et illis bonis rebus multo esse meliorem. Ita in hac mundi domo, cum caelo terraque perspicias providentiam, ordinem, legem, crede esse universitatis dominum parentemque ipsis sideribus et totius mundi partibus pulchriorem.

IV. At enim quem colimus Deum, nec ostendimus nec videmus. Immo ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus. In operibus enim eius et in mundi omnibus motibus virtutem eius semper praesentem aspicimus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat. Nec mireris, si Deum von vides: vento et flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, et sub oculis tamen non venit ventus et flatus. In solem adeo, qui videndi omnibus causa est, videre non possumus: radiis acies submovetur, obtutus intuentis hebetatur, et, si diutius inspicias, omnis visus exstinguitur. Quid? Ipsum solis Artificem, illum luminis fontem possis sustinere, cum te ab eius fulgoribus avertas, a fulminibus abscondas? Deum oculis carnalibus vis videre, cum ipsam animam tuam, qua vivificaris et loqueris, nec aspicere possis nec tenere? Sed enim Deus actum hominis ignorat et in caelo constitutus non potest aut

The Divine Presence

omnes obire aut singulos nosse. Erras, O homo, et falleris. Unde enim Deus longe est, cum omnia caelestia terrenaque, et quae extra istam orbis provinciam sunt, Deo plena sint? Ubique non tantum nobis proximus, sed infusus est. In solem adeo rursus intende: caelo affixus, sed terris omnibus sparsus est; pariter praesens ubique interest et miscetur omnibus, numquam eius claritudo violatur. Quanto magis Deus auctor omnium ac speculator omnium, a quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris, quasi alteris tenebris! Non tantum sub illo agimus, sed et cum illo, ut prope dixerim, vivimus.

V. Ceterum quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria; animus enim ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis potest pauper esse qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? Magis pauper ille est, qui, cum multa habeat, plura desiderat. Dicam tamen quemadmodum sentio: nemo tam pauper potest esse quam natus est. Aves sine patrimonio vivunt et in diem pecua pascuntur; et haec nobis tamen nata sunt, quae omnia, si non concupiscimus, possidemus. Igitur ut qui viam terit eo felicior quo levior incedit, ita beatior in hoc itinere vivendi qui paupertate se sublevat non sub divitiarum onere suspirat. Et tamen facultates, si utiles putaremus, a Deo posceremus; utique indulgere posset aliquantum cuius est totum. Sed nos contemnere malumus opes quam

Gold is tried by Fire

continere, innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus, malumus nos bonos esse quam prodigos. Et quod corporis humana vitia sentimus et patimur non est poena, militia est. Fortitudo enim infirmitatibus roboratur, et calamitas saepius disciplina virtutis est. Vires denique et mentis et corporis sine laboris exercitatione torpescunt. Omnes adeo vestri viri fortes, quos in exemplum praedicatis, aerumnis suis incliti floruerunt. Itaque et nobis Deus nec non potest subvenire nec despicit, cum sit et omnium rector et amator suorum; sed in adversis unumquemque explorat et examinat, ingenium singulorum periculis pensitat, usque ad extremam mortem voluntatem hominis sciscitatur, nihil sibi posse perire securus. Itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur.

VI. Quam pulchrum spectaculum Deo cum Christianus cum dolore congreditur, cum adversum minas et supplicia et tormenta componitur, cum strepitum mortis et horrorem carnificis irridens inculcat, cum libertatem suam adversus reges et principes erigit, soli Deo, cuius est, cedit, cum triumphator et victor ipsi qui adversum se sententiam dixit insultat! Vicit enim qui, quod contendit, obtinuit. Quis non miles sub oculis imperatoris audacius periculum provocet? Nemo enim praemium percipit ante experimentum. Et imperator tamen quod non habet non dat; non potest propagare vitam, potest honestare militiam. At enim Dei miles nec in dolore deseritur nec morte finitur. Sic Christianus miser vi-

Our Strength is from above

deri potest, non potest inveniri. Vos ipsi calamitosos viros fertis ad caelum, ut Mucium Scaevolam, qui, cum errasset in regem, perisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset. Et quot ex nostris, non dextram solum, sed totum corpus uri, cremari sine ullis eiulatibus pertulerunt, cum dimitti praesertim haberent in sua potestate! Viros cum Mucio vel cum Aquilio aut Regulo comparo? Pueri et mulierculae nostrae cruces et tormenta, feras et omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt. Nec intellegitis, O miseri, neminem esse qui aut sine ratione velit poenam subire aut tormenta sine Deo possit sustinere.

VII. Nisi forte vos decipit quod Deum nescientes divitiis affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus. Miseri! In hoc altius tolluntur ut decidant altius. Hi enim ut victimae ad supplicium saginantur, ut hostiae ad poenam coronantur. Absque enim notitia Dei quae potest esse solida felicitas? Cum mors sit, somnio similis, antequam tenetur, elabitur. Rex es? Sed tam times quam timeris, et quamlibet sis multo comitatu stipatus, ad periculum tamen solus es. Dives es? Sed fortunae male creditur, et magno viatico breve vitae iter non instruitur, sed oneratur. Fascibus et purpuris gloriaris? Vanus error hominis et inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente sordescere. Nobilitate generosus es? Parentes tuos laudas? Omnes tamen pari sorte nascimur, sola virtute distinguimur.

We are distinguished by Merit alone

SAINT CYPRIAN

ON DISCIPLINE

I. Disciplina, custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonae indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper ac iugiter Deo vivere et ad promissa caelestia et ad divina praemia pervenire. Hanc et sectari salubre est, et aversari ac neglegere letale. In Psalmis loquitur Spiritus Sanctus, "Continete disciplinam, ne forte irascatur Dominus, et pereatis de via iusta, cum exarserit cito ira eius super vos." Et denuo legimus, "Disciplinam qui abicit infelix est." Et de Salomone mandata Sapientiae monentis accepimus: "Fili, ne neglexeris disciplinam Domini, nec defeceris ab eo correptus; quem enim diligit Deus corripit." Si autem Deus quem diligit corripit, et ad hoc corripit ut emendet, fratres quoque, et maxime sacerdotes, non oderunt sed diligunt eos quos corripiunt ut emendent; quando et Deus per Hieremiam ante praedixerit et tempora nostra significaverit dicens, "Et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina."

Its Importance

II. Quod si in Scripturis sanctis frequenter et ubique disciplina praecipitur, et fundamentum omne re-

ligionis ac fidei de observatione ac timore proficiscitur, quid cupidius appetere, quid magis velle ac tenere nos convenit, quam ut, radicibus fortius fixis, et domiciliis nostris super petram robusta mole solidatis, inconcussi ad procellas et turbines saeculi stemus, ut ad Dei munera per divina praecepta veniamus? Considerantes pariter ac scientes quod templa Dei sint membra nostra, ab omni faece contagionis antiquae lavacri vitalis sanctificatione purgata, nec violari ea aut pollui fas sit, quando qui violat et ipse violetur. Eorum nos templorum cultores et antistites sumus. Serviamus illi cuius esse iam coepimus. Paulus in Epistulis suis dicit quibus nos ad curricula vivendi per divina magisteria formavit: "Non estis vestri; empti enim estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro." Glorificemus et portemus Deum puro et mundo corpore et observatione meliore; et qui per sanguinem Christi redempti sumus, per omnia servitutis obsequia Redemptoris imperio pareamus, demusque operam ne quid immundum et profanum templo Dei inferatur, ne offensus sedem quam inhabitat derelinquat.

Its Utility

III. Sospitantis Domini verba sunt et docentis, curantis pariter et monentis: "Ecce, sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat." Dat vivendi tenorem, dat innocentiae legem postquam contulit sanitatem; nec habenis liberis et solutis vagari postmodum patitur, sed ipsis potius quibus sanatus fuerat mancipato gravius comminatur, quod sit scilicet minor culpa deliquisse ante cum nec-

Its Rule

dum nosses disciplinam Dei; nulla sit venia ultra delinquere postquam Deum nosse coepisti. Et quidem hoc tam viri quam mulieres, tam pueri quam puellae, sexus omnis atque omnis aetas observet et curet, pro religione et fide quam Deo debet, ne quod sanctum et purum de Domini dignatione percipitur, minus sollicito timore teneatur.

IV. Ceterum, quaecumque terrena sunt in saeculo accepta et hic cum saeculo remansura, tam contemni debent quam mundus ipse contemnitur, cuius pompis et deliciis iam tunc renuntiavimus cum meliore transgressu ad Deum venimus. Ioannes nos excitat et hortatur spiritali et caelesti voce contestans: "Nolite," ait, "diligere mundum aut ea quae in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est caritas Patris in illo. Quoniam omne quod in mundo est concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio saeculi, quae non est a Patre, sed ex concupiscentia saeculi. Et mundus transibit, et concupiscentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in aeternum." Aeterna igitur et divina sectanda sunt, et omnia de Dei voluntate facienda sunt, ut Domini nostri vestigia et magisteria divina sectemur, qui monuit et dixit, "Non descendi de caelo ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui me misit." Quod si non est maior domino suo servus et liberatori debet obsequium liberatus, qui esse cupimus Christiani, debemus quod Christus dixit et fecit imitari. Scriptum est, et legitur et auditur et in exemplum nostri Ecclesiae ore celebratur,

Our Model

"Qui dicit se in Christo manere debet quomodo ille ambulavit et ipse ambulare." Ambulandum est igitur vestigiis paribus, aemula ingressione nitendum est. Tunc respondet ad fidem nominis sectatio veritatis, et credenti praemium datur, si quod creditur et geratur.

Our Contest

V. Ceterum, quid aliud in mundo quam pugna adversus diabolum cotidie geritur, quam adversus iacula eius et tela conflictationibus assiduis dimicatur? Ad omnia paratos facere timor Dei et fides debet. Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est; cum carnalibus vitiis, cum illecebris saecularibus assidua et molesta luctatio est. Obsessa mens hominis et undique diaboli infestatione vallata vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido. Si libido compressa est, succedit ambitio. Si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere quod divina lex prohibet, compelleris iurare quod non licet. Tot persecutiones animus cotidie patitur, tot periculis pectus urgetur, et delectat hic inter diaboli gladios diu stare, cum magis concupiscendum sit et optandum ad Christum, subveniente velocius morte, properare.

VI. Non sint tibi scandala ista, sed proelia; nec debilitent aut frangant Christiani fidem, sed potius ostendant in colluctatione virtutem, cum contemnenda sit omnis iniuria malorum praesentium fiducia futuro-

rum bonorum. Nisi praecesserit pugna, non potest esse victoria; cum fuerit in pugnae congressione victoria, tunc datur vincentibus et corona. Navis gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Delicata factatio est cum periculum non est. Conflictatio in adversis probatio est veritatis. Arbor quae alta radice fundata est ventis incumbentibus non movetur; et navis quae forti compage solida est pulsatur fluctibus, nec foratur; et quando area fruges terit, ventos grana fortia et robusta contemnunt, inanes paleae flatu portante rapiuntur. Quando ergo infirmitas et imbecillitas et vastitas aliqua grassatur, tunc virtus nostra perficitur; tunc fides, si tentata perstiterit, coronatur, sicut scriptum est, "Vasa figuli probat fornax, et homines iustos tentatio tribulationis."

Our Metal

VII. Hoc denique inter nos et ceteros interest qui Deum nesciunt, quod illi in adversis queruntur et murmurant, nos adversa non avocant a virtutis et fidei veritate, sed corroborant in dolore. Apostoli vox est, quem Dominus vas electionis suae dixit, quem ad promenda mandata caelestia Deus misit: "Primus homo," inquit, "de terrae limo, secundus homo de caelo. Quomodo portavimus imaginem eius qui de limo est, portemus et imaginem eius qui de caelo est." Hanc imaginem portant disciplinae Dei memores, iustitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendam iniuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraterna pace unanimes atque concordes.

Our Strength

LACTANTIUS

THE DIVINE INSTITUTES

I. Sed Deus, ut parens indulgentissimus, appropinquante ultimo tempore, nuntium misit, qui vetus illud saeculum fugatamque iustitiam reduceret, ne humanum genus maximis et perpetuis agitaretur erroribus. Rediit ergo species illius aurei temporis, et reddita quidem terrae, sed paucis assignata iustitia est; quae nihil aliud est quam Dei unici pia et religiosa cultura.

The Return of Justice

II. Sed moveat aliquem fortasse cur si haec sit iustitia, non omni humano generi sit data, nec in eam multitudo universa consenserit. Magnae hoc disputationis est, cur a Deo, cum iustitiam terrae daret, sit retenta diversitas; quod et alio loco declaravi, et ubicumque opportune inciderit, explicabitur. Nunc designare id brevissime satis est: virtutem aut cerni non posse nisi habeat vitia contraria, aut non esse perfectam nisi exerceatur adversis. Hanc enim Deus bonorum ac malorum voluit esse distantiam, ut qualitatem boni ex malo sciamus, item mali ex bono; nec alterius ratio intellegi, sublato altero, potest. Deus ergo non exclusit malum, ut ratio virtutis constare posset. Quomodo enim *patientia* vim

The Test of Virtue

suam nomenque retineret, si nihil esset quod *pati* cogeremur? Quomodo laudem mereretur devota Deo suo fides, nisi esset aliquis qui a Deo vellet avertere? Nam et ideo potentiores esse iniustos permisit, ut cogere ad malum possent; ideo plures, ut virtus esset pretiosa, quae rara est. Quod quidem ipsum Quintilianus egregie ac breviter ostendit in capite obvoluto. "Nam quae," inquit, "virtus esset innocentia nisi laudem raritas dedisset? Verum quia natura sic comparatum est ut odium, cupiditas, ira, in id quod incubuerunt agant caecos, supra hominem videtur culpa vacare. Alioqui, si natura pares omnibus affectus dedisset, pietas nihil erat."

III. Hoc quam verum sit, docet necessitas ipsa rationis. Si enim virtus est malis ac vitiis fortiter repugnare, apparet sine malo ac vitio nullam esse virtutem; quam Deus ut absolutam perfectamque redderet, retinuit id quod erat ei contrarium cum quo depugnare posset. Agitata enim malis quatientibus, stabilitatem capit; et quanto frequenter impellitur, tanto firmiter roboratur. Haec nimirum causa efficit ut quamvis sit hominibus missa iustitia, tamen aureum saeculum non esse dicatur; quia malum non sustulit, ut retineret diversitatem quae sacramentum divinae religionis continet sola.

The Reason of Vice

IV. Qui ergo putant iustum esse neminem, ante oculos habent iustitiam, sed eam nolunt cernere. Quid vobis inanem iustitiam depingitis, et optatis cadere de

caelo, tamquam in aliquo simulacro figuratam? Ecce in conspectu vestro est: Estote aequi ac boni, et sequetur vos sua sponte iustitia quam quaeritis. Deponite omnem malam cogitationem de cordibus vestris, et statim vobis illud tempus aureum revertetur, quod aliter consequi non potestis quam si Deum verum colere coeperitis.

The Realm of Justice

V. Vos autem, manente cultu deorum, iustitiam desideratis in terra, quod fieri nullo pacto potest. O mira et caeca dementia! In iis putatur mala mens esse qui fidem servare conantur, in carnificibus autem bona. In iisne mala mens est, qui contra ius humanitatis, contra fas omne lacerantur, an potius in iis qui ea faciunt in corporibus innocentium quae nec saevissimi latrones, nec iratissimi hostes, nec immanissimi barbari aliquando fecerunt? Adeone etiam sibi mentiuntur ut vicissim boni ac mali nomina transferant et immutent? Quid ergo non diem noctem vocant, solem tenebras? Alioquin eadem impudentia est bonis malorum nomen imponere; sapientibus, stultorum; iustis, impiorum. Quin immo, si qua illis fiducia est vel in philosophia vel in eloquentia, arment se ac refellant haec nostra, si possunt; congrediantur comminus et singula quaeque discutiant. Non est opus vi et iniuria, quia religio cogi non potest. Verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas. Destringant aciem ingeniorum suorum; si ratio eorum vera est, afferatur. Parati sumus audire, si doceant; tacentibus

Freedom of Truth

certe nihil credimus, sicut ne saevientibus quidem cedimus. Imitentur nos et rationem rei totius exponant. Nos enim non illicimus, ut ipsi obiectant, sed docemus, probamus, ostendimus. Itaque nemo a nobis retinetur invitus, inutilis est enim Deo qui devotione ac fide caret. Et tamen nemo discedit, ipsa veritate retinente.

VI. Doceant isti hoc modo, si qua illis fiducia veritatis est; loquantur, hiscant, audeant (inquam) disputare nobiscum aliquid eiusmodi; iam profecto ab aniculis quas contemnunt, et a pueris nostris, error illorum ac stultitia ridebitur. Sentiunt enim nihil esse in rebus humanis religione praestantius, eamque summa vi oportere defendi. Sed ut in ipsa religione, sic in defensionis genere falluntur. Defendenda enim religio est non occidendo, sed moriendo; non saevitia, sed patientia; non scelere, sed fide; illa enim malorum sunt, haec bonorum. Et necesse est bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, iam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur. Nihil est enim tam voluntarium quam religio in qua si animus sacrificantis aversus est, iam sublata, iam nulla est. Recta igitur ratio est ut religionem patientia vel morte defendas, in qua fides conservata et ipsi Deo grata est, et religioni addit auctoritatem. Nam si is qui in hac terrestri militia regi suo fidem servat in aliquo egregio facinore, si postea vixerit, acceptior fit et carior, si perierit, summam consequitur gloriam quod pro duce

Manner of defending Religion

suo mortem occubuerit, quanto magis imperatori omnium Deo fides servanda est, qui non tantum viventibus, sed etiam mortuis praemium potest virtutis exsolvere! Igitur Dei cultus, quoniam militia caelestis est, devotionem maximam fidemque desiderat.

VII. Quomodo enim Deus aut amabit colentem, si ipse non ametur ab eo, aut quomodo praestabit precanti quidquid oraverit, cum ad precandum neque ex animo neque observanter accedat? Isti autem cum ad sacrificandum veniunt, nihil intimum, nihil proprium diis suis offerunt, non integritatem mentis, non reverentiam, non timorem. Peractis itaque sacrificiis inanibus, omnem religionem in templo, et cum templo, sicut invenerant, relinquunt; nihilque secum ex ea afferunt, neque referunt. Inde est quod eiusmodi religiones neque bonos facere possunt, neque firmae atque immutabiles esse.

Sincerity of Religion

VIII. Traducuntur itaque ab his homines facile, quia nihil ibi ad vitam, nihil ad sapientiam, nihil ad fidem discitur. Quae est enim superstitio illorum deorum? Quae vis? Quae disciplina? Quae origo? Quae ratio? Quod fundamentum? Quae substantia? Quo tendit? Aut quid pollicetur, ut ab homine possit fideliter servari fortiterque defendi? In qua nihil aliud video quam ritum ad solos digitos pertinentem. Nostra vero religio eo firma est et solida et immutabilis, quia iustitiam docet, quia nobiscum se nper est, quia tota in animo colentis

False and true Religion

est, quia mentem ipsam pro sacrificio habet. Illic nihil exigitur aliud quam sanguis pecudum, et fumus et inepta libatio; hic bona mens, purum pectus, innocens vita. At illi infelices nec ex sceleribus suis intellegunt quam malum sit quod colunt, quandoquidem flagitiis omnibus inquinati, veniunt ad precandum; et se pie sacrificare opinantur, si cutem laverint. Tamquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluant aut ulla maria purificent. Quanto satius est mentem potius eluere quae malis cupiditatibus sordidatur, et uno virtutis ac fidei lavacro universa vitia depellere! Quod qui fecerit, quamlibet inquinatum ac sordidum corpus gerat, satis purus est.

IX. Non ergo ideo adversus nos insaniunt, quia dii non coluntur a nobis, sed quia veritas penes nos est, quae (ut est verissime dictum) odium parit. Quid igitur existimabimus, nisi nescire illos quid patiantur? Pergitur enim caeco et irrationabili furore quem nos videmus, illi nesciunt. Non enim ipsi homines persequuntur qui causam cur irascantur innocentibus non habent. Sed illi spiritus contaminati ac perditi, quibus veritas et nota est et invisa, insinuant se mentibus eorum, et instigant nescios in furorem. Hi enim, quamdiu pax est in populo Dei, fugitant iustos et pavent. Et cum corpora hominum occupant animasque divexant, adiurantur ab his, et nomine Dei veri fugantur. Quo audito tremunt, exclamant, et uri se verberarique testantur; et interroganti qui sint, quando venerint, quomodo in homi-

The Cause of Hatred

nem irrepserint, confitentur. Sic extorti et excruciati virtute divini nominis, exsulantur. Propter haec verbera et minas, sanctos et iustos viros semper oderunt. Et quia per se nocere his nihil possunt, publicis eos odiis persequuntur quos sibi graves sentiunt, exercentque saevitiam quam violentissime possunt, ut aut eorum fidem minuant per dolorem, aut, si id efficere non quiverint, auferant omnino de terra, ne sint qui possint eorum nequitiam coercere. Non me fugit quid responderi e contrario possit. Cur ergo Deus ille singularis, ille magnus, quem rerum potentem, quem dominum omnium confiteris, haec fieri patitur, nec cultores suos aut vindicat, aut tuetur? Cur denique qui eum non colunt et opulenti et potentes et beati sunt, et honoribus regnoque potiuntur, eosque ipsos dicioni suae ac potestati subiectos habent?

X. Reddenda et huius rei ratio est, ne quid remaneat erroris. Nam imprimis haec causa est cur existimetur religio Dei vim non habere, quod inducuntur homines specie terrenorum ac praesentium bonorum, quae ad curam mentis nullo modo pertinent; quibus quia carere iustos vident, et affluere iniustos, et Dei cultum inanem arbitrantur, in quo inesse illa non cernunt, et deorum ritus aestimant veros, quoniam cultores eorum et divitiis et honoribus et regnis fruantur. Verum ii qui sunt in hac existimatione non perspiciunt altius vim rationemque hominis, quae tota non in corpore sed in mente est. Nihil enim vident amplius quam videtur, corpus

The Error of Unbelievers

scilicet; quod, quia oculis manuque tractabile est, imbecillum, fragile, mortale est; cuius sunt illa omnia bona quae cupiditati ac miraculo sunt, opes, honores, imperia, quoniam corpori afferunt voluptates, et ideo tam caduca sunt quam corpus ipsum. Animus vero, in quo solo est homo, quoniam subiectus oculis non est, nec bona eius inspici possunt, quae in sola virtute sunt posita, et ideo tam stabilis, et constans, et perpetuus sit necesse est, sicut ipsa virtus, in qua est animi bonum.

